

de profundo esca aliis futuris educitur: ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in morte corpus Jesu, non sentiens in eo hanc divinitatis inclusum: sed ubi devoravit, hæsit ipse continuo: & diruptis inferni claustris, velut de profundo extractus trahitur, ut esca ceteris fiat. Quod ita futurum sub hac eadem figura Ezechiel dudum Propheta significaverat, dicens: Et extraham te in hamo meo & extendam te super terram. Campi implebuntur de te, & constitutam super te omnes volucres cæli, & saturabo ex te omnes bestias terræ. Sed & Propheta David dicit: Dedit eum in escam populis Æthiopum. Et Job de eodem mysterio similiter protestatur: ait enim ex persona Domini loquentis ad se: Aut adducis draconem in hamo, aut ponis capistrum circa nares ejus. Non ergo damno aliquo, aut injuria divinitatis Christus in carne patitur: sed ut per infirmitatem carnis operaretur salutem, divina natura in mortem descendit: non ut lege mortalium detineretur à morte, sed ut per sese resurrecturus januas mortis aperiret: velut si quis rex pergat ad carcerem, & ingressus aperiat januas, resolvat catenas, vincula, seras & claustra comminat, & educat vincos in remissionem, & eos qui sedent in tenebris & in umbra mortis, luci ac vitæ restituit: dicitur ergo rex fuisse quidem in carcere: non tamen ea conditione qua fuerant ceteri qui tenebantur in carcere: sed illi quidem ut pœnas solverent, hic vero ut absolveret pœnas. Cautissime autem qui symbolum tradiderunt, etiam tempus quo hæc sub Pontio Pilato gesta sunt designarunt, ne ex aliqua parte velut vaga & incerta gestorum traditio vacillaret. Sciendum sane est, quod in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habetur additum: Descendit ad inferna: sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur. Sed quoniam erga scripturas tibi divinas amor & studium subjacet, sine dubio dicis mihi, oportere hæc magis evidentibus divinarum scripturarum testimoniis approbari. Quanto enim majora sunt quæ credenda sunt, tanto idoneis magis & indubitatis testibus indigent. Vera quippe est & consequens hæc propositio. Sed nos tanquam scientibus legem loquentes, testimoniis sylvam brevitate causa derelinquimus. Pauca tamen ex multis etiam si hoc requiritur, adhibeamus, scientes studiosis quibusque in scripturis divinis latissimum testimoniorum pelagus patere. Primo ergo omnium sciendum est, quod ipsa ratio crucis non omnibus una eademque est: sed aliud gentibus, aliud Judæis, aliud credentibus sapit: sicut & Apostolus dicit: Nos autem Christum prædicamus crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vocatis Judæis & Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Et alibi: Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est: his vero qui salvati sunt, id est nobis, virtus Dei est. Judæi autem quibus ex lege traditum fuerat Christum in æternam mansurum, scandalum patiebantur de carne ejus, quia resurrectionem ejus recipere noluerunt. Gentibus autem stultitia videbatur Deum mortem suscepisse, quia ignorabant mysterium carnis assumptionis. Fideles vero qui & natum & passum in carne susceperant, & à mortuis resurrectisse, merito virtutem Dei credebant esse, quæ vicerat mortem. Primo ergo hoc ipsum quod Judæi quibus Propheta hæc prædixerat non essent credituri, sed illi qui nunquam hæc à prophetis audierant, audi quomodo per Isaiam prophetico sermone signatur: Quibus non est, inquit, annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt intelligunt. Quod autem his qui meditantur legem Dei, à pueritia usque in senectutem non credentibus, ad gentes esset omne mysterium transferendum: idem Isaias hoc modo prædicit: Et faciet, inquit, Dominus Deus Sabaoth omnibus gentibus, in monte isto bibent letitiam, bibent vinum, ungentur unguento in monte isto. Tradet hæc omnia gentibus: hoc enim consilium omnipotentis super omnes gentes. Sed dicent fortasse nobis illi, qui se jactant in scientia legis: blasphematis, qui dicitis Dominum corruptioni, morti & passioni crucis fuisse subjectum. Legite ergo quod scriptum habetis in lamentationibus Jeremiæ, ubi dicit: Spiritus vultus nostri Christus Dominus comprehensus est in corruptionibus nostris, in quo diximus: sub umbra ejus vivemus in gentibus. Audis quomodo Propheta Christum Dominum comprehensum esse dicit, & pro nobis, id est, pro peccatis nostris corruptioni traditum: in cuius umbra (quoniam populus ille Judæorum permansit incredulus) gentilem subjectum esse dicit: quia vivimus non in Israel, sed in gentibus. Quod si operosum non videtur, quam possumus breviter singula quæ in Evangelii referuntur,

qualiter in prophetis prædicta sint designemus: ut hi qui prima fidei elementa suscipiunt, testimonia hæc habeant in corde descripta: ne ulla eis unquam de his quæ credunt, ambiguitas inimica subrepat. Edoceatur per Evangelium: quod Judas unus de amicis & convivis Christi tradiderit eum. Audi hoc quomodo prænunciatur in psalmis: Qui manducavit, inquit, panes meos, ampliavit adversum me supplantationem. Et alibi: Amici, inquit, mei & proximi mei aversum me appropinquaverunt & steterunt. Et iterum: Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi erunt jacula. Vis audire quomodo molliti sunt? Venit, inquit, Judas ad Jesum, & dixit ei: Ave rabi, & osculatus est eum. Per molle igitur osculi blandimentum, execrabile jaculum proditoris infixit. Unde Dominus ad eum dixit: Juda, osculo filium hominis tradis? Triginta argenteis audis eum appreciatum esse cupiditate proditoris. Audi & de hoc prophetiam vocem: Et dixi, inquit, ad eos: Si bonum est in conspectu vestro, date mercedem meam, aut abnuite. Et post hæc: Et accipi, inquit, triginta argenteos, & misi eos in domum Domini in confortium. Nonne hoc est quod in Evangelii scribitur: Quia Judas penitentia ductus reportavit pecuniam, & projecit eam in templo, & discessit? Bene autem mercedem suam dixit, velut imputatis & exprobrantis affectu: etenim tam multa bona opera apud eos egerat, cæcos illuminaverat, claudis pedes, paraliticis gressum, mortuis quoque redderat vitam. Pro his igitur omnibus bonis, mercedem ei restituit mortem, triginta argenteorum estimationem pensatam. Refertur item in Evangelio, quod vincus est: prædixit hoc sermo propheticus per Isaiam dicens: Va anime eorum qui cogitaverunt cogitationem pessimam adversum semetipsos, dicentes: Alligemus justum quia inutilis est nobis. Sed dicit aliquis: Nunquid hæc de Domino intelligenda sunt? Nunquid Dominus ab hominibus teneri poterat, & ad judicium pertrahi? Et de hoc te idem Propheta convincet: Dicit enim his verbis: Dominus in judicium veniet cum senioribus & principibus populi. Judicatur ergo Dominus secundum Prophetæ testimonium, & non solum judicatur, sed etiam flagellis cæditur & palmis in faciem verberatur, & conspuitur, & omne pro nobis perfert opprobrium indignitatis. Et quia hæc stupefenda erant omnibus cum prædicarentur ab Apostolis: idcirco etiam ex persona ipsorum Propheta exclamat & dicit: Domine quis credidit auditui nostro? Incredibile enim est, ut Deus Dei Filius passus ista dicatur & prædicetur: ergo & prædicatur per Prophetas, ne qua creditus dubitatio nasceretur. Ipse ergo ex sua persona Christus Dominus dicit: Doctum meum dedi ad flagella, & maxillas meas ad palmas, & faciem meam non averti à confusione sputorum. Scribitur etiam illud inter ceteras ejus passiones, quod alligantes eum duxerunt ad Pilatum. Præsignavit etiam hoc Propheta, ubi dicit: Et alligantes adduxerunt eum Xenium Regi Jarim. Si obijciat aliquis & dicat: sed Pilatus non erat rex. Audi ergo quid in consequentibus refert Evangelium. Audiens, inquit, Pilatus eum esse de Galilea, misit eum ad Herodem, qui erat tunc rex in Israel. Et bene addit nomen Jarim, quod est silvester. Non enim erat Herodes de domo Israel, nec de illa vinea Israëlita, quam eduxerat Dominus de Ægypto, & plantaverat in cornu, in loco uberi: sed erat silvester, id est, ex silva alienigenarum: & ideo rectè silvester est appellatus, quia de Israëlita vitis nequaquam palmitibus pullulasset. Sed ad hoc quod dicit Propheta xenium, convenienter aptavit: Tunc enim Herodes & Pilatus (ut Evangelium testatur) ex inimicis in concordiam revocati sunt: & velut reconciliationis suæ xenium, justum sibi invicem mittebant Jesum. Quid interest dummodo Jesus ut Salvator diffidentes reconciliet, & pacem reparat, ac etiam concordiam reddat? Unde etiam de hoc scriptum est in Job: Dominus reconciliat corda principum terræ. Refertur item quod cum Pilatus vellet eum dimittere, omnis populus succlamaverit: Crucifige, crucifige eum. Prænunciat hoc quoque Jeremiæ Propheta, dicens ex persona Domini ipsius: Facta est, inquit, hæreditas mea mihi sicut leo in sylva: dedit super me vocem suam, propterea exosus sum eam: & propterea, inquit, dereliqui domum meam. Et iterum alibi dicit: Supra quem aperuisti os vestrum, & adversus quem relaxastis linguas vestras? Cum judicaretur, scribitur tacuisse. Multa de hoc scripturæ testantur. In psalmis dicitur: Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes. Et iterum: Ego tanquam surdus non audivi, & sicut mutus non aperiens os suum. Et iterum alius Pro-

pheta dicit: Sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum, in humilitate judicium ejus sublatum est. Imposita ei scribitur corona spinea. Audi de hoc in Canticis canticorum, super iniquitatem Jerusalem mirantis de injuria filii, Dei Patris vocem dicens: Exite & videte filia Jerusalem coronam qua coronavit eum mater sua. Sed & de spinis ita alius Propheta commemorat: Et expectavi ut faceret verum, fecit autem spinas, & non justitiam, sed clamorem. Verumtamen ut mysterii secreta cognoscas: oportebat eum qui peccata mundi venit auferre, etiam terræ maledicta purgare, quæ peccante protoplasto sententiam pravariationis acceperat, dicens Domino: Maledicta terra in operibus suis, spinas & tribulos producat tibi. Propterea ergo spinis coronatur Jesus, ut prima illa condemnationis sententia solveretur. Ad crucem ducitur, & in ligno totius mundi vita suspenditur. Vis & de hoc prophetis testimoniis confirmari? Audi Jeremiam dicentem de hoc: Venite & injiciamus lignum in panem ejus, & conteramus eum de terra viventium. Et iterum Moyses deflens eos, dicit: Et erit vita suspensa ante oculos tuos, & timebis per diem & noctem, & non credes vitæ tuæ. Sed transcurrendum nobis est: jam enim proposita brevitate modum excedimus, & brevium sermonem longa disertatione distendimus: pauca tamen addemus, ne penitus quod cepimus, præteritis videamur. Scribitur Jesus in latere percussus, aquam simul & sanguinem profudisse. Hoc quippe mysticum est, ipse enim dixerat: Quia flumina de ventre ejus procedent aquæ vivæ. Sed produxit & sanguinem, quem petierunt Judæi venire super se & super filios suos. Produxit etiam aquam quæ credentes diluat: produxit & sanguinem, qui condemnet incredulos. Potest tamen etiam intelligi illud, quod duplicem gratiam baptismi figuraverit: Unam quæ datur per aquam baptismi, aliam quæ per mysterium profusionis sanguinis quaeritur: utrumque enim baptismum nominatur. Quod & si hoc quaeris, cur non ex alio mæstro, sed ex latere potius produxisse dicatur aquam & sanguinem: videtur mihi per colam mulier indicari. Quia ergo fons peccati & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam costa, processit: fons redemptionis ac vitæ de secundi Adam costa producit. Scriptum est quod in passione ejus ab hora sexta usque ad horam nonam tenebra factæ sunt. Accipe & de hoc Propheta testimonium, dicens: Occidet tibi sol meridie. Et iterum Zacharias Propheta: In illa, inquit, die non erit lux: frigus & pruina erit uno die: & dies illa nota Domino, & neque dies, neque nox: & ad vesperam erit lux. Quid tam evidens à Propheta dici poterat: ut jam tum hæc non tam futura prædici quam narranti præterita videantur? Et frigus & pruina prædixit: propterea enim Petrus calefaciebat se ad ignem, quia frigus erat: & patiebatur frigus non solum temporis, sed & fidei. Addit etiam, & dies illa nota Domino, & neque dies, neque nox. Quid est neque dies, neque nox? Nonne apertè de insertis diei tenebris, & revocata rursum luce differit? Non fuit illa dies, neque enim incepit ab ortu solis. Neque integra nox fuit: non enim peracto diei cursu, spatia sibi debita, vel ab initio suscepit, vel ad ultimum determinata perduxit, sed fugata per impiorum facinus lux reparavit ad vesperam. Post horam enim nonam depulsis tenebris sol redditur mundo. Et iterum alius de hoc ipso testimonium dicit: Et obscurabitur super terram in die lux. Docet Evangelii prædicatione quod etiam milites diviserunt sibi vestimenta Jesu, & super tunicam ejus miserunt sortem. Hoc etiam curæ fuit Spiritui sancto Prophetarum vocibus protestari, cum David dicit: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Sed ne de illa quidem veste quam dicuntur milites illudentes induisse eum, id est, de veste cocinea Prophetæ siluerunt. Audi enim quid dicat Isaias: Quis est hic qui venit de Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosra: Quare rubicunda sunt vestimenta tua, & indumentum tuum tanquam in torculari calcatum? Unde & ipse respondit: Torcular calcavi solus filia Sion. Solus est qui peccatum non fecit & abstulit peccata mundi. Si enim potuit per unum hominem mors introire, quanto magis per unum hominem qui & Deus erat, potuit vita restitui? Refertur etiam quod aceto potatus sit, vel vino myrrhatum quod est amarum felle. Audi quid de hoc Propheta prædixerit: Et dederunt, inquit, in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Ad quæ respondens jam tunc Moyses dicebat populo illo: Ex vineis Sodomorum vitis eorum, & palmas eorum de Gomorris, yva eorum, yva fellis, & botrus

amaritudinis ipsius. Et iterum exprobrans eis dicit: Populus stultus & non sapiens, hæc Domino retribuiti? Sed & in Canticis eadem pronunciantur, ubi etiam hortus, in quo crucifixus est designatur. Dicit ergo: Intravi in hortum meum foror mea, sponsa mea, & vindemiavi myrram meam: ubi evidenter vinum myrrhatum quo potatus est declaravit. Et spiritum post hæc scribitur reddidisse. Prænunciatum fuerat & hoc per Prophetam dicentem ex persona filii ad patrem: In manus tuas commendo spiritum meum: Sepultus perhibetur, & lapis magnus appositus ante ostium monumenti. Accipe etiam de hoc quid propheticus per Jeremiam sermo prædixit: Mortificaverunt, inquit, in lacum vitam meam, & posuerunt lapidem super me. Evidentissima hæc sepultura ejus indicia prophetis vocibus designata sunt. Accipe tamen & alia. A conspectu, inquit, iniquitatis ablati est justus, & in pace est locus ejus. Et alibi: Et dabo maligno, pro sepultura ejus. Et iterum alius: Recubans dormivit ut leo, & ut catulus leonis, quis suscitabit eum? Sed etiam quod in infernum descendit, evidenter pronunciat in Psalmis, ubi dicit: Et in pulverem mortis deduxilli me. Et iterum: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Et iterum: Descendi in limum profundi, & non est substantia. Sed & Joannes dicit: Tu es qui venturus es (in infernum sine dubio) an alium expectamus? Unde & Petrus dicit: quia Christus mortificatus carne, vivificatus autem spiritu, qui in ipso habitat, eis qui in carcere conclusi erant descendit: spiritibus prædicare, qui increduli fuerunt in diebus Noë. In quo etiam quid operis in infernum egerit declarat. Sed & ipse Dominus per Prophetam dicit tanquam de futuro: Quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quod rursum propheticè nihilominus ostendit impletum, cum dicit: Domine eduisti animam meam ab inferno, salvasti me à descendentibus in lacum. Sequitur post hæc: Tertia die resurrexit à mortuis. Resurrectionis quippe gloria in Christo clarificavit omne quod prius infirmum & fragile videbatur. Si tibi paulo ante non videbatur esse possibile, usque ad mortem venisse immortalem: aspice nunc, quia qui devicta morte resurrexisset dicitur, non potest esse mortalis. Sed bonitatem in hoc intellige creatoris, quia ille eo usque te fecendo descendit, usquequo tu peccando dejectus es. Nec creatorem omnium Deum impossibilitatis accules: ut ibi putes opus ejus caduco lapsu potuisse concludi, quo ille saltem operaturus pervenire non posset. Inferna & superna nobis dicuntur, qui certa corporis circumscriptione conclusi, intra regionis præscriptæ nobis terminos continemur. Deo autem qui ubique est, & nusquam deest, quid infernum est, aut quid supernum? Veruntamen in assumptione corporis etiam ista complentur. Resuscitatur caro, quæ resposita fuerat in sepulchro, ut adimpleretur illud quod dictum est per Prophetam: Quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Rediit ergo victor à mortuis, inferni spolia secum trahens. Eduxit enim eos qui tenebantur à morte, sicut & ipse prædixerat, ubi ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad me ipsum traham. Attestatur autem de hoc Evangelium, cum dicit: monumenta aperta sunt, & multa corpora dormientium sanctorum resurrexerunt, & apparuerunt multis, & ingressi sunt in sanctam civitatem: sine dubio ingressi sunt civitatem, de qua Apostolus dicit: Quæ autem iustum est Jerusalem libera est, quæ est mater omnium nostrum. Sicut & ad Hebræos iterum dicit: Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum per passiones consummari. Igitur consummatam passionibus carnem humanam, quæ in mortem ceciderat per protoplasti lapsum, resurrectionis virtute reparatam in dextera Dei sedens in altissimis collocavit, ut & Apostolus dicit: Qui simul excitavit nos, simulque sedere fecit in celestibus. Hic enim erat figurus, qui ut Jeremias Propheta docet, vas de manu sua colapsum & confractum, rursum elevavit manibus suis & reformavit, sicut placuit in conspectu ejus. Placuit autem ita, ut corpus quod mortale & corruptibile susceperat, de sepulchri petra levatum, & immortale atque incorruptibile effectum jam non in terrenis, sed in celestibus & patris dextera collocaret. Plenæ sunt his sacramentis scripturæ veteris testamenti. Nullus super hoc Propheta, nullus legislator, aut psalmographus siluit: sed omnis penè sacra de his pagina loquitur: & ideo superfluum videtur immorari nos ad congreganda testimonia. Pauca tamen admodum ponemus, ad ipsos

fontes divinatorum voluminum remittentes eos, qui potare abundantius cupiunt. Dicit ergo statim in psalmis: Ego dormivi & soporatus sum & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Item in alio: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Et alibi sicut jam superius diximus: Domine eduxisti de inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum. Et in alio loco: Quoniam conversus vivificasti me, & de abyssu terræ iterum reduxisti me. Evidentissime in octogesimo septimo psalmo de eo dicitur: Et factus est sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. Non dixit homo, sed sicut homo. Sicut homo enim erat qui descenderat in infernum: sed inter mortuos liber erat, quia a morte teneri non poterat. Et ideo in uno natura humanæ fragilitatis, in alio divinæ majestatis potestas ostenditur. Osee autem Propheta etiam de tertia illud manifestissime pronuntiat hoc modo: Sanabit, inquit, nos post biduum: in die autem tertia resurgemus, & vivemus in conspectu ejus. Hæc autem ex persona eorum dicit, qui cum ipso die tertia resurgentes, de morte revocantur ad vitam. Et ipsi sunt qui dicunt: Die tertia resurgemus, & vivemus in conspectu ejus. Isaias vero aperte dicit: Qui eduxit de terra pastorem magnum ovium. Sed quod & mulieres visuræ essent resurrectionem ejus, Scribis & Phariseis & populo non credente, etiam hoc prædixit Isaias his verbis: Mulieres quæ venitis a spectaculo, venite: non enim est populus habens intellectum. Sed etiam de illis mulieribus, quæ post resurrectionem perrexerunt ad sepulchrum dicuntur: & quæsiit eum & non invenisse: sicut de Maria Magdalene, quæ refertur venisse ad monumentum ante lucem, & non invento eo flens dixisse ad angelos: Quia tulerunt Dominum, & nescio ubi posuerunt eum: etiam de hoc ita prædicitur in Canticis canticorum: In cubili meo quæsiivi quem dilexit anima mea: in noctibus quæsiivi eum, & non inveni. De illis quoque qui invenerunt eum & tenuerunt pedes ejus, prædicitur in Canticis canticorum: Tenebo eum, & non dimittam eum, quem dilexit anima mea. Hæc interim pauca de multis, brevitati enim studentes, plura coacervare non possumus. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram patris: inde venturus est judicare vivos & mortuos. Consequenti brevitate in fine sermonis hæc continentur: in quibus quod dicitur quidem palam est. Sed consequenter quo sensu intelligi debeant quæ dicuntur, ascendisse, & sedere, & venturum esse, nisi secundum dignitatem divinitatis intelligas, aliquid per hæc humanæ fragilitatis videbitur indicari. Consummatis etenim his quæ in terra gerantur, & anima de inferni captivitate revocata, ascendere memoratur ad cælos, sicut Propheta prædixerat: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus: illa scilicet dona quæ Petrus in Actibus Apostolorum de sancto Spiritu dicebat: Exaltatus igitur dextera Dei effudit hoc donum quod vos videtis & auditis. Donum ergo Spiritus sancti dedit hominibus, quia captivitatem quam prius diabolus per peccatum deduxerat in infernum, Christus per mortis suæ resurrectionem revocavit ad cælos. Ascendit ergo ad cælos, non ubi verbum Deus ante non fuerat, quippe qui erat semper in cælis, & manebat in patre, sed ubi verbum caro factum ante non sederat. Denique quia novus iste ingressus portarum cæli aditus & principibus videbatur, videntes naturam carnis secreta cælorum penetrantem, dicunt ad invicem, sicut David plenus Spiritu sancto denunciavit, dicens: Tollite portas principes vestras & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Quæ vox utique non propter divinitatis potentiam, sed propter novitatem carnis ascendens ad Dei dexteram, ferebatur. Dicit & alibi idem David: Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ. In voce etenim tubæ mos est victorem redire de prælio. De ipso quoque & illud dicitur: Qui ædificat in cælo ascensionem suam. Et item alibi: Qui ascendit super Cherubim, volavit super pennas ventorum. Sedere quoque ad dexteram patris, carnis assumptæ mysterium est. Neque enim incorporeæ illi naturæ convenienter ista absque assumptione carnis aptantur: neque sedis cælestis perfectio divinæ naturæ, sed humanæ acquiritur. Unde & dicitur de eo: Parata est sedes tua Deus, ex tunc a sæculo tu es. Parata igitur a sæculo sedes est, in qua Dominus Jesus sessurus erat: in cuius nomine omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnium lingua confiteatur ei, quia Dominus Jesus est in gloria Dei patris. De quo & David ita refert: Dixit Dominus Domino

meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quæ tamen dicta Dominus in Evangelio differens, dicebat ad Phariseos: Si ergo David in Spiritu Dominum vocat eum, quomodo filius ejus est: per quod ostendit se secundum Spiritum Dominum, secundum carnem filium esse David. Unde & ipse Dominus iterum dicit: Veniuntamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei. Et Petrus Apostolus dicit de Christo: quod est dextera Dei sedens in cælis. Sed & Paulus ad Ephesios scribens: Secundum operationem, inquit, potentie virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans eum a mortuis, & federe faciens in dextera sua. Quod autem veniat judicaturus vivos & mortuos, multis quidem divinarum scripturarum testimoniis edocemur. Sed prius quam prophetis hæc eloquiis prædicta doceamus, illud necessarium arbitror admonendum: quod ista fidei traditio quotidie nos vult de adventu judicis esse sollicitos: ut actus nostros ita præparemus, tanquam reddiuri imminenti judici rationem. Hoc enim erat quod & Propheta dicebat de viro beato: Quia disponit sermones suos in judicio. Quod autem dicitur judicare vivos & mortuos, non ideo dicitur quod alii vivi, alii mortui ad judicium veniant: sed quod animas simul judicabit & corpora, in quibus vivos animas, mortuos corpora nominavit. Sicut & ipse Dominus loquitur in Evangelio, dicens: Nolite timere eos qui possunt corpus occidere, animæ autem nihil possunt facere: sed timeite potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nunc jam paucis si videtur etiam per Prophetas hæc prædicta esse doceamus. Plura autem testimonia cum volueris, ipse tibi de scripturarum latitudine congregabis. Dicit ergo Malachias Propheta: Ecce veniet Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem adventus ejus: aut quis sustinebit aspectum ejus? quia ipse ingreditur sicut ignis conflatorii, & sicut herba lavantium, & sedebit confans & purgans, sicut argentum & sicut aurum. Ut autem evidentiis cognoscas, quis sit iste Dominus de quo hæc dicuntur: audi quid & Daniel Propheta pronuntiet: Videbam, inquit, in visu noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis, veniens, utque ad vetustum dierum pervenit: & in conspectu ejus oblati sunt libri: & ipsi datus est principatus & honor & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient: & potestas ejus, potestas æterna quæ non præteribit, & regnum ejus non corrumpetur. Ex his ergo edocemur, non solum de adventu & de judicio, sed & de potestate ejus & regno: quia potestas æterna sit, & sine corruptionis fine sit regnum: sicut & in symbolo dicitur: Et regni ejus non erit finis. Unde valde alienus a fide est, qui regnum Christi dicit aliquando finitimum. Scire tamen debemus, quod salutarem Christi adventum hunc conatur inimicus ad decipiendos fideles callida fraude simulare: & pro filio hominis, qui expectatur venturus in majestate patris sui, filium perditionis in prodigiis & signis mendacibus preparare: ut pro Christo, mundo huic introducat antichristum: de quo & Dominus in Evangelio prædixit Judæis: Quia ego veni in nomine patris mei, & non recepitis me: alius veniet in nomine suo, & ipsum recepitis. Et iterum dicit: Tunc videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto, sicut dicit Daniel Propheta, qui legit intelligat, Daniel ergo de adventu erroris istius plenius & latius in suis visionibus edocet: ex quibus valde operosum est nunc exempla ponere, qui satis amplis narrationibus dilatatur: & ideo scire de his plenius volentem, ad ipsas magis recensendas remittimus visiones. Sed & Apostolus dicit de eo: Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi discessio venerit primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam ipse sit Deus. Et paulo post: Et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & evacuabit eum illuminatione adventus sui, cuius est adventus secundum opera Satanæ in omni virtute, signis & prodigiis mendacibus. Et item paulo post: Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati. Propterea ergo Prophetis & Evangelicis atque Apostolicis vocibus nobis prænunciatur hic error, ne qui pro adventu Christi, adventum credant antichristi: sed sicut ipse Dominus dicit: Cum dixerint vobis: ecce Christus hic, aut ecce illic: nolite credere. Venient enim multi pseudochristi & pseudoprophete, & seducunt multos. Sed quomodo demonstraverit judicium

veri Christi, videamus. Sicut fulgur, inquit, de Oriente respicendit usque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis. Cum ergo advenit verus Dominus Jesus Christus, sedebit, & judicium statuet: sicut & in Evangelio dicit: Et segregabit oves ab hædis, id est, justos segregabit ab injustis: sicut & Apostolus scribit: Quia omnes nos stare oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bona sive mala. Judicabitur autem non solum pro gestis, sed etiam pro cogitatis: secundum quod ipse Apostolus dicit: Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die quod judicabit Deus occulta hominum. Sed & de his ista sufficiant. Post hæc ponitur in ordine fidei: Et in Spiritu sancto. Ea quæ in superioribus paulo latius de Christo sunt tradita, ad incarnationis & passionis ejus mysterium pertinent: quæ dum media intercedunt personæ ipsius coaptata, sancti Spiritus commemorationem paulo longius reddiderunt. Cæterum si solius divinitatis ratio habeatur, eo modo quo in principio dicitur: Credo in Deum Patrem omnipotentem: & post hæc: in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum: ita jungitur: Et in Spiritu sancto. Illa vero omnia quæ de Christo memorantur, ad dispensationem carnis, ut diximus, spectant. Igitur in sancti Spiritus commemoratione adimpletur mysterium Trinitatis. Sicut enim unus dicitur pater, & alius non est pater: & unus dicitur unigenitus filius, & alius unigenitus filius non est: ita & Spiritus sanctus unus est, & alius non potest esse Spiritus sanctus. Ut ergo fiat distinctio personarum, affectionis vocabula secernuntur: quibus ille pater intelligitur, ex quo omnia, & quia ipse non habet patrem. Ille filius tanquam qui ex patre natus sit: & hic Spiritus sanctus tanquam de utroque procedens, & cuncta sanctificans. Ut autem in una eademque trinitate divinitas doceatur: sicut dictum est, in Deo Patre credi adjecta præpositione, in: ita & in Christo filio ejus, ita & in Spiritu sancto memoratur. Sed ut manifestius fiat quod diximus, ex consequentibus probabitur. Sequitur namque post hunc sermonem: Sanctam Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem. Non dicit, in sanctam Ecclesiam Catholicam, nec in remissionem peccatorum, nec in carnis resurrectionem: si enim addidisset, in, præpositionem, una cum superioribus eademque vis fieret. Nunc autem in illis quidem vocabulis, ubi de divinitate ordinatur fides, in Deo Patre dicitur, & in Christo filio ejus, & in Spiritu sancto: in cæteris vero ubi non de divinitate, sed de creaturis & de mysteriis sermo est, in, præpositio non additur: ut dicatur, in sancta Ecclesia, sed sanctam Ecclesiam credendam esse: non ut Deum, sed ut Ecclesiam Deo congregatam. Et remissionem peccatorum credant esse, non in remissionem peccatorum: & resurrectionem carnis credant, non in resurrectionem carnis. Hæc itaque præpositionis syllaba, creator a creaturis secernitur, & divina separantur ab humanis. Hic igitur Spiritus sanctus est, qui in veteri testamento legem & Prophetas, in novo Evangelia & Apostolos inspiravit. Unde Apostolus dicit: Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum. Et ideo quæ sunt novi ac veteris testamenti volumina, quæ secundum majorum traditionem per ipsum Spiritum sanctum inspirata creduntur, & Ecclesie Christi tradita, competens videtur hoc in loco evidenti numero, sicut ex patrum monumentis accepimus designare. Itaque veteris testamenti, omnium primo Moyse quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numerus, Deuteronomium. Post hæc Jesus Nave: Judicum simul cum Ruth. Quatuor post hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant, Paralipomenon, qui dierum dicitur liber, & Esdre duo, qui apud illos singuli computantur, & Hester. Prophetarum vero, Isaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel: præterea duodecim Prophetarum liber unus: Job quoque, & psalmi David singuli sunt libri. Salomon vero tres Ecclesie tradidit, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica canticorum: in his concluderunt numerum librorum veteris testamenti. Novi vero quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis: Actus Apostolorum quos deseribit Lucas. Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim: Petri Apostoli duæ: Jacobi fratris Joannis. Hæc sunt quæ patres intra canonem concluderunt, & ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Scendum tamen est, quod & alii libri sunt qui non sunt canonici, sed Ecclesiastici a majoribus appellati sunt: id est Sapiaentia, quæ dicitur Salomonis, & alia Sapiaentia, quæ

dicitur filii Sirach: qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur: quo vocabulo non autor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem vero ordinis libellus est Tobie, & Judith, & Machabæorum libri. In novo vero testamento libellus, qui dicitur Pastoris sive Hermes, qui appellatur duæ viæ, vel judicium Petri: Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt: non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras vero scripturas apocryphas nominantur, quas in Ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis a patribus tradita sunt: quæ (ut dixi) opportunum visum est hoc in loco designare, ad instructionem eorum qui prima sibi Ecclesie ac fidei elementa suscipiunt, ut sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula. Tenet exinde ratio fidei sanctam Ecclesiam. Causam jam superius diximus, cur non dixerint etiam hic, in sanctam Ecclesiam. Hi igitur qui supra in uno Deo credere edocti sunt, sub mysterio trinitatis credere etiam hoc debent, unam esse Ecclesiam: in qua est una fides & unum baptisma, in qua unus Deus creditur pater, & unus Dominus Jesus Christus Filius ejus, & unus Spiritus sanctus. Ista est ergo sancta Ecclesia, non habens maculam aut rugam. Multi enim & alii Ecclesias congregaverunt, ut Marcion, & Valentinus, & Hebion, & Manichæus, & cæteri omnes hæretici. Sed illa Ecclesia non sunt sine macula vel ruga perfidia: & ideo dicebat de illis Propheta: Odi Ecclesiam malignantiam, & cum impiis non sedabo. De hac autem Ecclesia, quæ fidem Christi integram servat, audi quid dicat Spiritus sanctus in Canticis canticorum: Una est columba mea, una est perfecta genitrici suæ. Qui ergo hanc fidem in Ecclesia suscipit, non declinet in consilio vanitatis, & cum iniqua gentibus non introeat. Concilium namque vanitatis est, quod agit Marcion: qui negat patrem Christi Deum esse creatorem, qui per filium suum fecerit mundum. Concilium vanitatis est quod Hebion docet: ita Christo credi debere, ut circumcisio carnis, & observatio sabbati, & sacrificiorum solennitas, cæteraque omnes observantia secundum legis litteram teneantur. Concilium vanitatis est quod docet Manichæus: primo quod seipsum paracletum nominavit: tum deinde quod mundum a malo factum dicit, Deum creatorem negat, testamentum vetus repudiatur: unam bonam, aliam malam naturam sibi invicem asserit coæternas: animas hominum secundum Pythagoræ in pecudes & animalia & bestias redire per diversos nascendi circulos astruit: resurrectionem carnis nostræ negat: passionem Domini & nativitatem non in veritate carnis, sed in phantasiis fuisse confirmat. Concilium vanitatis est quod Paulus Samosatenus, & ejus post hunc successores Photinus asseruit, Christum non fuisse ante sæcula natum ex patre, sed ex Maria corpore: & non cum Deum hominem natum, sed ex homine Deum factum existimat. Concilium vanitatis est, quod Arius atque Eunomius docuit: qui Filium Dei non ex ipsa patris substantia natum, sed ex nihilo creatum voluit. Concilium vanitatis est, & quod illi aiant, qui Filium Dei quidem de substantia patris fatentur, sanctum vero Spiritum separant & secernunt: cum utique unam eademque virtutem & divinitatem trinitatis ostendat Salvator in Evangelio, cum dicit: Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti: & est aperte impium separari ab homine quod divinitus jungitur. Concilium vanitatis est & hoc, quod olim congregavit pertinax & prava contentio: asserens Christum carnem quidem humanam suscepisse, non tamen & animam rationalem: cum utique & carni & animæ & sensui humano ac menti una eademque salus a Christo collata sit. Sed & illud concilium vanitatis est, quod Donatus per Africam traditionem Ecclesie criminando contraxit: & quod Novatus sollicitavit, lapsis penitentiam denegando, & secundas nuptias cum forte iniri eas necessitas exegerit, condemnando. Has ergo omnes velut congregationes malignantium fuge. Sed & eos si qui illi sunt, qui dicuntur asserere, quod Filius Dei non ita videat vel noverit patrem, sicut noster ipse & videtur a patre: vel regnum Christi esse finitimum, aut carnis resurrectione non integram naturæ suæ substantiam reparandam; futurum Dei justum erga omnes negant judicium, diabolum a debita absolvent damnatione penarum. Ab his inquam omnibus fidelis declinet auditus. Sanctam vero Ecclesiam tene, quæ Deum Patrem omnipotentem, & unicum Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, & Spiritum sanctum, concorditer & consona substantie ratione profitemur. Filiusque Dei natus ex virgine, passum pro sa-